



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

64. An qui omisit aliquo die omnes Horas Canonicas, vel notabilem illarum partem, teneatur in confessione aperire id, quod omisit; vel sufficiat dicere se mortale peccatum commisisse in non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

quo accidit, non fit in potestate omittentis, vel in sua causa fit voluntaria, vt quia ante tempus executionis precepti hominem de causa data pœnituit: aut, quia vel non potuit, vel non debuit cauere secutoram omissionem. Et hæc omnia notauit Becanus in p. 2. tr. 2. c. 3. q. 6. n. 10. & 11. cum Tannero vbi sup. dub. 3. num. 37. & Villafbos in summ. tom. 1. tract. 3. diff. 6. n. 4. Sed ad alia deueniamus.

RESOL. LXIII.

An sufficiat, si penitens dicat in confessione, anno integro omisi Officium diuinum, vel non restitui, licet aliquoties intra annum doluerit de culpa, & statuerit recitare, vel restituere, & propositum postea non adimpleuerit: Ex part. 5. tract. 14. & Miscell. 2. Resolut. 55.

Sup. hoc pro parte restitutionis infra 158. lege cas per totas.

§. 1. CASus potest sapius in praxi accidere, & videtur negatiue respondendum; nam eo ipso quod doluit de peccato, statuitque recitare, vel restituere, interrupt peccatum; vnde cum postea non recitauit, neque restituit, aliud diuerso numero peccatum commisit: sed certum est numerum peccatorum in confessione declarandum esse: ergo, &c.

2. Nihilominus licet, metaphysice loquendo illud peccatum numero multiplicetur, adhuc non videtur necessarium declarare prædictam interruptionem. Ita Iacobus Granado in 3. part. D. Thome, controuers. 7. tractat. 9. disputatione decima, num. octauo; quia in confessione non est seruandus strictus rigor, & nimietas in explicando numero, quando sufficienter constat de statu penitentis. Satis autem constat de statu, cum quis fateatur se per annum non recitasse, aut non restituisse cum posset; licet non delectet, an aliquoties habuerit animum recitandi, vel restituendi; alioquin molestum esset, nimisque onerosum, ac scrupulis plenum; maiorem obligationem imponere. Sic Granado vbi supra; sed de hac questione satis alibi à me dictum est.

Alibi in Ref. not. præterit.

RESOL. LXIV.

An qui omisit aliquo die omnes Horas Canonicas, vel notabilem illarum partem, teneatur in confessione aperire id quod omisit, vel sufficiat dicere se mortale peccatum commississe in non soluendo diuinum Officium?

Et notatur, quod habens plura beneficia non committit tot peccata, quot sunt beneficia in omissione Horarum Canonicarum. Ex part. 2. tr. 12. Rel. 23.

Sup. hoc sup. in Resol. 95. Sed difficultas, ante medium, à vers. & adhibet. & in to 3. tr. 6. Rel. 75.

§. 1. ALiqui asserunt, non satis esse ita dicere, sed explicandam esse quietatem Officij omisissam, si sit magna, & numerum Horarum. Et ita docet Bonacina de Sacra. disp. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. n. 17. Gasias de benef. tom. 1. part. 3. c. 1. n. 142. Henriq. lib. 5. c. 7. n. 6. Bellochius in praxi de cas. refer. part. 2. q. 15. n. 47. & alij penes ipsos.

2. Sed ego puto cum Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 33 n. 70. & alijs, satis esse si Clericus se accuset asserendo commississe culpam lethalem in recitatione Horarum. Notandum est etiam contra Nauarum, & alios, quod habens plura beneficia non committit tot peccata, quot sunt beneficia, vt optimè notat Gasias vbi supra, n. 142. Azorius part. 1. lib. 4. c. 1. quæst. 6. & alij.

Sup. hoc in to 3. tr. 6. Ref. 111. §. vlt. in principio, & in alio §. & verficius not.

RESOL. XLV.

Primum, qui ratione Ordinis sacri, & beneficij tenetur persolvere Horas Canonicas; si illas non recitet, peccet dupliciter, & sit ista circumstantia in confessione aperienda? Ex part. 2. tr. 12. Rel. 22.

§. 1. AFFirmatiue respondet Fagund. de precept. Eccles. tr. 2. li. 4. c. 5. n. 23. Azor. p. 1. l. 1. to. 2. 74. q. 7. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 18. n. 5. Sanch. de mar. lib. 9. disp. 15. n. 6. Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 34. n. 71. Carolus Macigni de Horis Canonicis, c. 10. n. 6. & alij, quia talis Clericus omittens Officium diuinum, violat duplicem virtutum specie diuersam: violat enim virtutem religionis, ratione Ordinis sacri, & virtutem iustitiæ, ratione beneficij.

2. Hæc sententia est probabilis, sed contraria est probabilior, quam tuetur Homobonus exam. Eccles. p. 1. tr. 4. c. 5. q. 42. Henriq. lib. 12. c. 12. n. 3. in Glas. O. Gasias de benef. tom. 1. p. 3. c. 1. n. 125. Salas in p. 2. to. 2. tr. 13. disp. 3. sect. 2. n. 17. & alij, quia Clericus beneficiatus tenetur persolvere Horas ratione tantum religionis, & non iustitiæ. Ergo vnicum peccatum committit, quia violat vnâ tantam virtutem.

RESOL. XLVI.

An si quis, v. g. recitando Officium diuinum vidit mulierem, & concupiscit eam, teneatur non solum illam prauam concupiscentiam confiteri, sed etiam dicere, quod tale peccatum admisit pfallendo, vel orando? Et an, qui orat non solum in peccato mortali, sed etiam cum proposito actuali, & voluntate peccandi mortali, peccet? Ex part. 6. tractat. 7. & Miscell. 2. Resolut. 36.

§. 1. CASus potest in praxi frequenter accidere, & de illo pauci mentionem faciunt; vnde affirmatiua sententiam nouissimè tenet Franciscus Syluius in resolutionibus varijs oratio. Quia, ait ille, cum aliquis Deum vocaliter orans ipsum offendit mortaliter, alicui prauæ voluntati, aut luxuriæ, aut alteri peccato consentiendo, in tali eius peccato inuenitur aliqua circumstantia mutans speciem peccati: atque Ecclesie doctrina recepta est (vt ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & aliunde constat) eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: ergo iste sic orans, & mortaliter peccans, tenetur, eam circumstantiam in confessione aperire. Maior probatur: quoniam iuxta B. Thom. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. illæ circumstantiæ mutant speciem peccati, quæ habent specialem repugnantiam cum recta ratione, diuersam ab ea, quæ est in ipso peccato secundum se: siue iuxta Scotum in 4. dist. 17. quæ speciali prohibitione prohibentur. Quibus consonat, quod idem S. Thom. quæst. 18. artic. 10. concludit. Quandocumque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis vel pro, vel contra, oportet, quod circumstantia det speciem actui mortali, vel bono, vel malo. Sed in proposito reperitur circumstantia, quæ habet specialem repugnantiam cum recta ratione; & quæ speciali prohibitionem præter peccatum enim, quod prohibetur precepto, Non machaberis; aut, Non concupiscet, vel isto. Non occides, adest peccatum Religioni oppositum. Oratio quippe ad virtutem Religionis pertinet: qui autem vocaliter orat, & sic orando consentit mortali luxuriæ, aut odio, grauius contra virtutem Religionis offendit; cum ipsa postulet, vt exhibeatur Deo cultus ac reuerentia, & vt oratio, quæ